
ZOGRAPHIA SIVE HIEROGLYPHICA SANE' PVLCHERRIMA

ex uiuis cum naturæ tum auto rum fontibus hauſta,

Nunc primum in ſtudioſorum gratiam edita.



ISMENIAS.




PATAVII
Laurentius Paſqualius Excudebat.
MDLXVI.

Auguſt. Peruſ. Proſp. Podian.

AMPLISSIMO VIRO Sebaſtiano Erizzo, Patritio Veneto, Nobiliſsimoq́, & D. ac patrono ſuo obſeruandiſſ.

Mantua Patauinus. S.



CIO te ampliſsime uir, pictura mirum in modũ delectari, Numiſmatis, ſignis, antiquitatibusq́ oĩbus, & ita qu idem ut a ſtudioſis bonarum artium, qui in horum hominum albo, deſcripti reperiuntur, tu primus omnium ſis quem cæteri colunt, obſeruant, & admirantur, idq́ nobis maxime oſtendit, non illepidus ille libellus, iam diu a te editus, numiſmatum interpres, talis quidem & tantus, ut eo ipſo tempore, quo uel a regibus, uel a conſulibus, uel ab Imperatoribus ipſis, ſeu illorum iuſſu dixerim & S. C. auctoritate, excuſſa fuerunt, tu quoque ſimul cum illis, fuiſſe uidearis, ea de re opellam hanc, laconico more conſcriptam, (breuis in ſermonibus ſapiens eſt, dicebat Xi-

ſtus Pythagoricus) ut pote tibi Antiqua-rio nobilissimo, potius quã alteri debitã, (zographia enim ideſt pictura inſcribi-tur)do dico & conſacro quæ quamquam libello tuo comparanda non ſit longe in-ferior non ideo minus tamen, amplitu-dini tuæ grata eſſe debet, cum ab eo pro-ficiſcatur animo, qui fortunam tibi optat longe maiorem quam habes, & ſane tuis eximiis uirtutibus dignã Vale. die XVI. Septemb. M D L X V I. Patauii.

ZOGRAPHIA SIVE HIERO-
glyphica sanè pulcherrima ex uiuis cum
naturæ tum autorum fontibus hau
sta, nunc primum in Studio-
sorum gratiam edita.

Apulia.

Canis linguam exerans.

ITaliæ regionis Apulia, calidissima est, in qua hac de re, Canes sitientes, perpetuo linguam exerunt. Hinc Persi (mitto quod Hora. eam dixerit Siticulosam)

Nec linguæ quantum sitiat canis apula, tantũ
Vos ò patricius sanguis quos uiuerè fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.

Adulter.

Vespertilio.

Ex quo odit lucem (ut Vespertilio) qui male agit, & quia sic (inquit Poeta) nocte uagatur adulter. & Iob.

Oculus adulteri obseruat caliginem. & hinc matrimonium Clandestinum suspectum est.

Animus siue anima.

Testudo.

Quia illigatus illigataue corpori mouet quidem illud, ita tamen ut simul moueatur.

Animus ad omnes rei gerendæ occasiones, intentus.

Arcus,

Ne inscitia uel improbitas, imprudentem

inuadat & non opinantem, intentus tanquàm arcus, semper esse debet.

Alopecia.

Vulpis.

Quando quidem hoc morbo conflictari dicatur. Imo quod græce Vulpis ἀλωπεκία *uocatur.*

Ad uim pugnamq; instructi.

Bacchus cornua gestans.

Forte quia liberalius biberint, trucesq; fiant (ut Belluæ.) Vnde Hora.

Te uidit insons cerberus aureo,
Cornu decorum.

Arma priscorum.

Claua, & pellis leonis.

Quia fustibus homines iniurias propulsabant, ferarumq; pellibus pro armis, corpora tegebant, ut claua & pelle leonis, antiquus Hercules.

Animi scelerati uir.

Magnum corpus, inæqualibus membris compositum, cicatricibusq; deformatum.

Si in deformitate corporis aliquid offensionis est, quanta nobis uideri debet, deprauati, turpificatiq; animi fœditas.

Auxilium infirmum.

Arundo.

Quia dicitur in Esaia. quid confidis in Baculo isto arundineo Aegyptio? cui si quis incu-

buerit conquaſſabitur, & perforabit manum eius.

Autor malarum cupiditatum.

Oculus.

Nimirum igitur ſi eos ſibi conſtanter, magnus ille Philoſophus Democritus, ademit. Vnde uulgatum illud. amor cupidineus ex aſpectu naſcitur, & (ut Poe. inquit.) Si neſcis, oculi, ſunt in amore, duces.

Amator ſiue amans.

Veſpertilio.

Quia noctu uolutat, ut Veſpertilio, qui ſub ueſperam & tota uolitat nocte pariter, & quē alias in trinummo Comic. tenebricolam uocat.

Amantis animus.

Speculum.

In quo amati (ut inquit Plato) relucet imago.

Amicitiæ inſpector.

Terminus.

Hunc ueteres quaſi ἐπίσκοπον dixere, ideſt amicitiæ inſpectorem, pacisq́; cuſtodem.

Amicitiæ obliuio.

Amor facibus undas inuergens.

Quem lætheum ſic coluit antiquitas, eiusq; imaginē in Erycinæ ueneris tēplo ſtatuit.

Amicitia.

Limen domus.

Quia ſic dicit alibi Maro.

Limen erat, cæcaq; fores & peruius usus.
Melius Iuuenal.
Limine summoueor perierunt tempora longi.
Seruitii.

Aulicorum ignauia.

Coruus.

Qui primum albus erat, fit niger, quippe quod apollinis nuncius obsequi tunc desiit.

Aduena.

Grus.

Quippe quod sic uocat eam Hora. & adue nam laqueo gruem iucunda captat præmia. Threicia enim auis est, & ad nos aduolat. sub finem autumni, & in regiones, temperatiores commigrat.

Amicus.

Anchora.

Vt.n. firmatur nauis anchora, ne uentis flã tibus, marisq; tẽpestate & fluctibus, mergatur sic in aduersis amico fideli, sublevatur quisq;.

Animo patriæ fauens.

Senex ante domum sedẽs, scuto & hasta munitus.

Sic Solõ Athenis, cũ Pisistratus copias impetrasset, ut tyranidem occuparet, ante domũ sedens, ætate confectus, scutum & hastam protendẽs dicebat se arma sumpsisse, ad asserendã patriam, quoad posset, cui si non corpore propter ætatem, animo saltem faueret.

Auarus.

Canis.

Vorat protinus, quod à domino ore aperto excepit, latratuq́; rursum, sibi cibum subministrari petit.

Auaritia.

Formica.

Nanq́; ut hij qui uoluptatibus dediti sunt porcis comparantur cani, uel capro, ita congerendi Thesauri occupatio, & studium, Formicam indicam repræsentat.

Autor à quo cæteri poemata hauriant.

ueluti exemplari.

Mingens, a quo alii Vrinam legant.

Quia sic Homerum Galato pinxerat, ratus neminem eum, in magnis sublimitate.inq́; paruis proprietate superasse. hinc Quidam.

Offuscat splendore suo lunam omnia & astra.
Phœbus, dum medio uertitur axe poli.
Infundit tenebras sic cũctis magnus Homerus.
Vatibus, illustris pieridum radiis.

Accusatores.

Anseres, & canes.

Illi quippe clamant, isti latrant. Sicq́; his uerbis alibi Cice. simillima est accusatorum ratio: alii enim anseres sunt in tantummodo clamant; nocere non possunt. alii canes; qui & latrare & mordere possunt.

Amicus.

Oculus.

Sic D Hieronimus ait. ex duobus oculis (hoc est amicis) Euagrio scilicet, & Innocentio, unum amisi.

Agricola.

Bos.

Lex attica est. Bouem aratorem qui iugum trahit, uel in aratro uel in plaustro ne mactes, quoniam ille etiam agricola est, & humano generi laborum socius.

Bonus euentus.

Dextera pateram habens, sinistra, spicam ac papauer.

Ostendit enim, sic facilem somnum, his obrepere, qui ex fructibus prædiorum suorum affatim alluntur.

Bonus euentus.

Dextera crateram tenens.

Sinistra, spicam.

Quod agricoltura misera sit & arida; si aqua caruerit, clementum eidem quam maxime utile & necessarium.

Bonum & malum.

Dextera & sinistra manus.

Hinc. D. Hieronimus ignorat dextram et sinistram, hoc est, boni differentiam & mali.

Consilium.

Puteus.

Quia in prouerb. dicit Solomon sicut aqua profunda, sic Consilium in corde uiri.

Castitas.

Agnus.

Quando quidem castus sit, mundus, & hostia pura ac immolationi apta.

Concordia.

Ianus & Saturnus.

Quia pulso Saturno à Ioue amanter & beneuole, eum Ianus Italiæ rex, hospicio excepit, Inq; socium ascitus est.

Christus.

Sol.

Fulget in terris, cum dicat Solomon. Ergo sol iusticiæ non luxit nobis.

Calamitas.

Grando.

Quod comminuat calamos, ideſt agricolis culmos & segetes.

Concordia.

Insigne in sublimi hastæ parte manum m habens.

Quippe quod in exercitu maxime desideratur.

Custodia.

Ostium, annulo clausum, atq; signatum.

Hinc Daniel, Claude ostium & signa annulo tuo.

Concordia.

Quia planetas unit & conciliat & dicitur etiam in psal.

Ortus est sol & congregati sunt in unum.

Celeritas.

Thunnus piscis.

Quando quidem certo anni tempore, (ut inquit Aristot.) æstrum quoddam habeat in capite, quo celeritate incredibili concitetur.

Constans.

Stans tenensq; oculos in terra defixos.

Quod sanè sensit Hora. dicens alibi sic.

Et uirilem.

Toruus humi posuisse uultum.

Concionator.

Gallus.

Ex quo dicitur in lib. Iob.

Quis dedit gallo intelligentiam?

Custos.

Draco.

Quia acie acutissima est, & peruigili naturamq; solis imitatur.

Consilium auxiliumq; simul.

Vlisses & Diomedes.

Ex quo duo hæc (Vlisses consilium est. Diomedes auxilium) in periculis obeundis, quam maxime necessaria esse uidentur.

Custos hominis & domus.

Canis,

Aegyptij cultu maximo canē colebāt, quip-

pe quod inuentus à natura sit, ut non modo domus, uerum hominis etiam custos esset.

Curiositas perniciosa.

Testudo.

Achæis iacinthiorum insulam, suo quodam iure uendicare cupientibus, respondit Flamminius, periculosum fore (ut testudini) caput longius a Peloponneso abducere.

Clamor.

Mergus.

Hinc Maro:

Cum medio celeres reuolant ex æquore mergi.
Clamoremq; ferunt ad littora.

Calamitas miseranda.

Narcisus.

Sui uultũ nõ aspicit, propriãq; substãtiã sed eius umbrã in aqua prosequitur, cũq; id assequi nõ poßit, in lachrimas resolutus cõsumitur hicq; (ut inquit Plato) animus hominis est.

Concordia.

Cornix.

Quippe quod fidißimæ aues sunt & cũ Societatem iniunt, mutuo amore se diligunt, & opere quam maximo, imo quod altera extincta Compar uiduam degit.

Celeritas.

Fulmen.

Quia Iulius Cæsar instar fulminis, cum Pharnacem regem Mithridatis filium uicis-

ſet, ad amicos ſcripſit. Veni Vidi Vici. uenit enim percußit abſceßit.

Concordia.

Ciconia.

Nanq; pulli, parentibus iam ſenio confectis, & longa ætate inualidis, & opem & alimenta miniſtrant in mutuam compenſationem.

Capua urbs.

Falco.

Ex quo lingua Ethruſca, capis dicitur falco unde capua (quod ibi inuentus ſit) colonia, deducta eſt.

Concordia.

Mulier, dextra crateram, Leua, copiæ cornu, tenens.

Quippe quod hinc rerum omnium ubertas prouenit, uſq; adeo ob id, ut Camillus (ita neceſſariam fuiſſe exiſtimauit antiquitas) ei templum dicauerit, ciq; rerum omnium (ut dixi) ubertatem acceptam tulerit.

Cinædus.

Adoleſcens comatus.

Quia dicit Satyr. Nullus Comatus, qui idē cinædus non ſit.

Concordia.

Duo ſimul ambulantes, ut monachi.

Quia niſi ſe mutua amarent beneuolentia, eſſentq; concordes, & (ut inquit philoſophus)

una anima in duobus corporibus, non ita simul, amoreq; mutuo, deambularent.

Christus.

Zodiacus.

Ex quo per omnia eiusdem signa, diuersa operando, discurrit.

Colonus.

Bos.

Quippe quod lege Solonis, cautum erat, nulli deo Bouem sacrificari debuisse licuisse ue, quia innocuum animal & colonum putaretur.

Celeritas.

Tigris.

Tantæ uelocitatis, & tam tremendæ est, ut Medi eam sagittam, sine controuersia uocent.

Curiosus.

Baiulus non nihil portans uelo opertum.

Quia Aegyptius sciscitanti olim dixit, ut illius curiositatem morderet, obuelatum est ne scias.

Custos pacis.

Terminus.

Quia hunc ueteres quasi ἐπίσκοπον hoc est pacis custodem quoque dicebant.

Crudelis,

Polypus.

Quippe quod neque a suis abstinet quibus (ut Aelianus ait) insidiatur semper.

Christus.

Vitis.

Quia dicitur in euãgelio. Ego sum uitis uos palmites, qui manet in me & ego in eo. Item Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est.

Demones.

Ranæ.

Quia Io. in Apocalyp. dicit. Et uidi de ore Draconis spiritus tres immundos, in modum ranarum.

Doctrina.

Cathedra.

Nec aliud sibi uolunt uerba psal. quæ sunt Et in cathedra seniorum laudent eum.

Deus.

Figulus.

Quia formauit hominem de limo terræ, & terra Figuli, ac lutum homo est.

Debitor.

Vespertilio.

Latitat cum soluendo non est ne creditores eum ad solutionem astringant.

Diabolus.

Musca.

Quia in Solomo. dicitur.
Muscæ moritura exterminant.
O lei suauitatem. Dux.

Grus.

Quoniam præit, eamq; omnes ordine litera to sequuntur, & nudo capite prospicit ac specu-

ac ſpeculatur. Et ſi quid mali impenderit, clamando denunciat.

Docti ſeu Doctores.

Stellæ.

Quia dicitur in Daniele de his loquente, docti tanquàm ſtellæ fulgebunt, in perpetuas æternitates manſuræ.

Diogenes.

Canis.

Nõ modo quia ſic uocaretur, uerũ quod aliquãdo interrogatus quid faceret, reſpõdit, adulari largientibus, non largientibus allatrare, improbos uero mordere. Hinc mordacem Cynicum uocat Hora.

Enuntiatio magnæ rei.

Cornu.

Nec ab re legitur in Euang. Lucæ. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui.

Eloquentia.

Auis quæ lingua exerta colligat formicas. Sicuti linguam ipſam poſtea contrahit, & depaſcitur, ita eloquentia hominum animos cõmouet, omnesq; in ſui amorem conuertit.

Eccleſia.

Luna.

Quod in hac mundi nocte reſplendeat, nec ſecus intellexit pſal. ibi. Fecit lunam in tẽpore.

Euangelium Dei.

Lucerna.

Quia formaliter dicitur in psal. ibi. Lucerna pedibus meis, uerbum tuum, & lumen semitis meis, siue semitarum tuarum.

Exercitatio.

Arcum intendens.

Quia sic Timanthus, cum ætatis causa, se ab athletarum certaminibus abiuxisset quo uires pristinas tueretur, quotidie magnum ac robustum intendebat arcum.

Aestas.

Hirundo.

Vnde non ab re Quidam alibi, perifrastice locutus, sic dixit. cum hirundine ad nos euolauit.

Ecclesia.

Nauis in mari.

Quia in euangel. dicitur.

Quod nauicula, multis in medio mari, iactabatur fluctibus.

Exilium æternum.

Mors.

Hinc Hora.

Omnes eodem cogimur omnium
Versatur urna serius, ocyus
Sors exitura, & nos in æternum exilium impositura Cymbæ.

Extenuatio sui ipsius.

Lucerna.

Quippe quia dixit Poe. lyricus, alibi, ad

propositum sic:

Di poca fiamma gran luce non uiene.

Fiscus.

Lien hominis.

Quia sic, eodem intumescente, & cætera tabescunt membra.

Fratrum quoque gratia rara.

Homo hominẽ interficiens rastro.

Vnde Lucan.

Nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Fortunæ repentinus ascensus atq; descensus.

Scala.

Ascendentibus aspirat, miseriis præmuntur uero, qui descendunt, hinc ob id ad nullum aliũ usum, Pittacus Mitilene, templis scalam fecit.

Fortunatus.

Equus ferox.

Quemadmodum equi, ferocitate exultantes domitoribus traduntur, ut his facilioribus utantur, sic homines secundis rebus effrenati, in gyrum rationis & doctrinæ, ducuntur, ut rerum humanarum imbecillitatem, uaritatemq; fortunæ perspiciant.

Familiaritas.

Porta aperta.

Quia sic iuuenal dicebat.

Limine summoueor perierunt tempora longi.
Seruitii. & uirgil. ibi.

Limen erat cæcæq; fores, & peruius usus.

Fortunæ instabilitas.

Mulier in pila sedens.

Humanæ conditionis mutationem, euẽtusq; uarios, sic designat,

Frugalis à carne abstinens.

Memnonia auis, accipitri similis.

Quia ad tumulum quotannis aduolat apud Ilium, Memnonis, & quãquam speciem accipitrix habeat, carne tamen abstinet.

Flumen.

Aquila,

Propter cursus uelocitatem, profunditemq; aquarum a rege quodã Aegyptio flumẽ Aquila appellatum est.

Fatum.

Canis alligatus Currui.

Volentem ducunt nolentem trahunt, ut ille ait. (Cleãtis enim uersiculus est) sed tu dei prouidentiam esse dicas.

Flumen.

Tauri caput.

Quod eius sonus, ut Tauri mugitus sit, Et ripe flexuosæ ut cornu, unde Maro.

Sic Tauri formis uoluitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Appuli cum sæuit.
Item alibi.
Et gemina auratus taurino cornua uultu.
Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum uiolẽter influit amnis.

Fidelis.

Oculus.

Hinc uulgatum illud.

Certior aure, arbiter est oculus.

Fideq; lõge magis faciũt, q̃ uidemus, quã q̃ audimus, unde in Euãg. quod uidimus testamur.

Fraus & dolus.

Gladius.

Quandó quidem prouerbio etiam trito utamur (Fabula nota est) Dedali gladius.

Fidei ancipitis homo.

Vespertilio.

Quia nec huius ordinis est nec illius, cum utroq; tamẽ colludit, ut Vespertilio. qui nec inter uolucres, nec inter muros habet locũ. alas habet non pennas, & sub uesperã uolitat, dentes habet auium uero nulla.

Fæmina infamis.

Tumulus, cui inscriptnm sit. Dum uixit.

Quia non aliud Veteres, hisce uerbis olim, significare uolebant. *Filiorum amor.*

Aquila.

In locis petrosis nidificat, ne ue coluber flatu pullos uiolet, ametisto lapide, nidum munit quo tuti sint & uenenum uincat.

Formosus.

Arbor.

Quia sic Homerus poetarũ princeps cũ formosos uult significare eos arboribus cõparat

Gratus.

Elephas.

Quia reminiſcitur officiorum, quæ didicit.

Glorioſus.

Hercules.

Quaſi Heracles ideſt Aeris Cleos gloria Solis & Illuminatio. Idemq; ſonat, quod glorioſus. & Hercules (rurſum) Sol. XII. enim labores conficit: & Sol. XII. Signa identidem, annuo curſu, Zodiaci luſtrat & conficit.

Glorioſus.

Pauo.

Quia erecto penarum flabello ſeipſum miratur.

Gloria.

Elephas.

Quia gloriæ cupiditate ducitur.

Generatio.

Aries.

Quia inter oues integer eſt ad generandum prolem, ab ara dictus, quod aris imponi ad ſacrificia ſoleret.

Guloſus.

Vrſus.

Quod indifferenter omnia comedat, hinc ecclesi. Omnem eſcam manducabit uenter.

Genius.

Angues ſiue Serpentes duo.

Ex pictura duorum anguium, ſiue Serpen-

tum Genium significari uolebant ueteres Geniales'q; dij, usque adeo ut neque fas esset, meiere, ubi picti uisebantur.

Hyppochrisis.

Crocodillus.

Conspecto procul homine (Bellua enim terribilis est) lachrimas emittit, atque eũdem mox deuorat.

Hamiralus maris.

Anchora.

Quoniam propugnaculum est & fortitudo quædam, aduersus latentem in mari petram, uel scopulum, & Hamirali ipsius insigne, pro Hamirali poni etiam capiq; commode potest.

Humilitas.

Saccus.

Nec ab re. S. Patres in sacco & Cinere olim sedentes, pænitentiam egerunt.

Homo nequam.

Tibicen.

Antisthenes enim cum audisset Hismeniã optimum habere Tibicinem: At, inquit, est homo nequam. Non enim (si probus foret) tibicẽ esset. musicos arguens, quasi uoluptatum ministros.

Hæreticus.

Struthio Camelus.

Quasi pœnas habeat Sapientiæ, nec euolet tamen, iuxta illud Esaiæ. Erit cubile draconũ,

& pascua struthionum.

Humanitas.

Aquila.

Quia bibit in senecta tantum, humaniorq́; fit & innocẽtior, hinc ortum prouerbium est Aquilæ senectus,

Homo ætate ingrauescens.

Polion Herba.

Quod incipiat, intendat, desinat, ut Polion. mane enim folia habet candida, meridie purpurea, sole occidente uero cerulea.

Hypocrita.

Tenens oculos in terra defixos.

Quia non aliter agunt hypocritæ, Iuxta illud Persianum.
Obstipo capite, & figentes lumine terram.
Obstipo.i.obliquo, & inclinato.

Hæretici.

Ranæ.

Nanq́; in cæno uilissimorum sensuum commorantes, miseri & infælices, uana garrulitate oblatrare, non desinunt

Hypocrita.

Histrio.

Quia simulat esse quod nõ est in scæna, hinc ludiones Histriones & uiri scænici uocantur, & ludij unde Iuuenal.
Nupta Senatori comitata est Hippia Ludium.
Ad pharon, & Nilum, famosaq́; mænia lagi.

Hominem homini insidiari nefas.

Accipitres duo. Cicadæ Formicæ Apes.

Quia sic nulla animalia inter se se dißident, & cicada cicadæ chara, Formica formicæ, acci piter accipitri, dulcioresq; apibus flores.

Hypocrita.

Scopuli maris.

His nimirum quidem comparatur, quia sic aqua operti atq; ignoti, ut hypocritæ, simulatione & hypocrisi, maximum afferunt periculum nauigantibus.

Honestas.

Pulcherrimæ uirginis forma.

Quasi a Lysippo, Auro, Argento, ferro, & ære, Statua metallis inter se confusis & permistis, hoc est, prudentia, iustitia fortitudine & temperantia, conflata sit.

Homo iners & infructuosus.

Oleaster.

Quia sic dicit Aposto.

Nam si & tu, ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam, quanto magis ij qui secundum naturã, inserentur suæ.

Hyems.

Aper.

A quo Adonis, ideſt sol interemptus ẽ, quia hyspidus & asper, gaudet quæ locis humidis, &

lutosis pruinaq; contectis, proprieq; hyemali fructu pascitur glandæ. Et hyems quasi solis uulnus dicitur.

Homo ancipitis fidei.

Vespertilio.

Supra fidei ancipitis homo.

Humanitas.

Charites.

Quod inter homines, mutua amicitia, ac Societas, & concordia semper esse debeat.

Hora.

Hippopotamus.

Quando quidem equus fluuiatilis sit, quem pingebant Aegyptij, horam significare uolẽtes.

Homo impurus & libidinosus.

Canis.

Hac de re nominare Flamini Romano, fas non erat.

Hyems.

Mulier capite operto, facem leua sustinens.

Superius Hemisphærium terra, uenus est, inferius Proserpina, diesq; tunc breuiores, dea (ut creditum est & fabulantur Poetæ) lugẽte.

Iudicium deprauatum.

Mida Rex auribus Asininis.

Quando quidem panis arundinẽ, corrupto deprauatoq; iudicio electus arbiter. Cithare Apollinis prætulerit.

Ira magistratus, detestabilis.

Fasces.

Ligabantur enim uirgis & securibus, quippe quod non oporteat magistratuum iracundiam, esse dissolutam, siue ut intra id tempus, quo soluuntur, resipiscant.

Impudentia.

Cupido fulmen perfringens.

Quo nihil impudentius, id significans Alcibiades, omnium impudentissimus, qui signum hoc in clypeo gestasse, litteris proditum est.

Iustus.

Ceruus.

Vt ceruus enim in montibus habitat, sic iustus & sanctus uir sanè semper in altissimis affectibus mentis uersatur.

Imitatio.

Galli Gallinacei pugnantes.

Themistocles hoc exemplo, exercitum aduersus barbaros educens, cũ gallos gallinaceos uidisset pugnantes, Atheniensium animos confirmauit, ut pro patria, pro gloria, pro liberta te, gallorum gallinac eorum imitatione, pugnarent pariter.

Indignatio.

Vir qui sibi feriat frontem.

Sic ad Attic. Cice. puto te in hoc, aut risisse, aut ingemuisse ut frontem ferias.

Insidiator.

Polypus.

Nanq; sub scopulis latitat, & piscium colorem induit, usq; adeo ut idem cum scopulis esse uideatur, pisces ad scopulos adnatant, ille Ciris quasi retibus, (autor Aelianus est) imprudenter implicat.

Iracundus rixas suscitans.

Vir ligna, igni subministrans.

Quia nec secus Solomon in prouer. dixit, ibi Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas.

Ignauus è prelio fugiens.

Mater filio uuluam ostendens.

Quasi præ pudore ingressurus statim, unde emersit.

Iudex.

Apollo manu dextra gratias, sinistra arcum & sagittas gestans.

Quod ad salutem promptior esse debet ad noxam uero pinguior. Signumq; erat in æginensium fano, quod uidere nemini permissum erat præter eos qui sacerdotio fungebantur.

Iustus.

Leo.

Ex quo prouerb. Solomon ait.

Iustus quasi leo confidens absq; terrore erit neque contristabitur quicquid ei acciderit.

Imitator, Imitatio.

Psytacus.

Ex quo eos habet india humanæ uocis imitatores, quæq; acceperint uerba pronuntiant Imperatoresq; ſalutant.

Intellectus.

Iuuenis, ſupra caput habens uexillum.

Quod Intellectus ſemper agat aliquid, & moliatur.

Inutilis.

Piſcis in agro, uel Bos in mari.

Quia unus extra aquam mortuus eſt. alter in aqua perit.

Ignauia & tarditas.

Saturnus.

Quia uix annorum. X X X. ſpatio, Zodiaci Curſum agit.

Ira faciles.

Cygni.

Quia (ut memoriæ proditum eſt) ad iram facile prouocantur, ſeq; concertantes, mutuò. quam ſæpiſsime, perimunt.

Ingratus.

Ixion, rotæ manus & pedes, habens alligatos

Nec ab re, Clamat perfidus, bene meritis gratiam referendam eſſe.

Iniuſtus.

Vrna terebrata aquam Ferens.

Quaſi docens, id genus homines, Infame, atque infælix admodum eſſe, & fruſtra laborare, cum omnibus ſint odio; & difficulter in

ter alios, inq; communi hominum societate, uiuat.

Insipiens, Sapiens.

Nudi duo.

Si ad ignotos mitta ntur, quid differant apparebit.

Inuidus.

Pauo.

Quippe quod fimum suum resorbet hominum utilitati inuidens.

Irrisio periculosa.

Mulier uestita pelle suis spinosi linguam exerans ut serpens.

Quia Remus, edictum Romuli fratris irrisit, rastro occisus est.

Industria.

Formica.

Vt pote, quia quemadmodum segnities, muscas, sic industria formicam imitatur.

Insidiæ.

Vrsus,

Hinc Thre. dicitur. Vrsus insidiosus factus est mihi.

Industria.

Apis.

Quia Solomon Sic dicit.

Vade ad Apē, & disce quam operatrix sit.

Iactantia.

Chamaleon.

Maximum habet pulmonem, nil aliud intus est, ut linguosus, qui præter pomposam ostentationẽ, nil aliud quidquã habet pariter.

Iactantia.

Fulmine ictusa Ioue.

Sic Anchises, quippe quod, cum Venere se aliquando iacuisse iactabat.

Italia.

Mulier super orbem sedens, coronata dextra sceptrum Leua cornucopia gestans.

Quippe quia sic eam describit quoque Virgi dicens,

Est locus, Hesperiam Grai cognomine dicunt.
Terra antiqua potẽs, armis atq; ubere glebæ.

Iactantia.

Cupressus.

In proceram enim sublimatur, celsitudinem in nullos autem fastigiatur fructus.

Iners & ociosus.

Dormiens.

In lucem dormire, inertium est atq; ociosorum hominum, sic Hora.

Beatus enim iam.

Cũ pulchris tunicis sumet noua consilia & spes.
Dormiet in lucẽ, scorto post ponet honestum.

Officium.

Iustitia.

Virginali aspectu, mulier, formidabili, oculorũ luminibus acribus, tristitiæ reuerendæ.

Ex quo iudex, grauis, sanctus, Seuerus, incorruptus, inexorabilis, erectus & potens esse debet.

Illæsus.

Delphinus.

Forte quia nec uenabãtur antiqui, nec læde re licebat, at si quid in uenatu peccassent, pau culis modo plagis, puerorũ more castigabãtur.

Innocentia.

Ciconia.

Q uoniam(ut memoriæ proditum est) Ales hoste caret.

Improbi.

Pisces.

Cum dicatur in Euangel.
Et traxerunt retæ plenum piscibus magnis,
Malos autem foras miserunt, ij enim improbi-probi uero & sancti illi nimirum igitur si magnos dixit, hic uero malos.

Ingratus.

Vir bouem occidens.

Nanq;(ut Saty. ait.)
Tenue & miserabile collum, cultris domini
Præbet, ab ingrato iam fastiditus aratro.

Iurisconsultus.

Sysiphus.

Q uia damnatus est(ut uulgo aiunt) ad per petuã reuolutionem chartarum sicuti ad uoluendum saxum Sysiphus, de quo, Sulmonen.

Poe.

Poe.sic.

Aut petis aut urges rediture Sysiphe saxum.

Instabilitas.

Mare fluctuans.

Vndarum enim maris, una aduenit, altera reuertitur.

Indocilis.

Hirundo.

Quia ut ex terrestribus mures, sic ex uolucribus hirũdines (ipsaq; docet expientia) sunt indociles.

Inimici capitales.

Lupus & agnus.

Inter Leones & homines rara sunt fædera, nec bene cum lupis agni conueniunt, dicebat Achilles Homericus, Hectori respondens.

Imitator.

Simia.

Quia imitatur, quicquid ab homine fieri uidet. Et inde fit ut uenatores hac de re eas sæpißime fallant, & capiantur.

Impudentia.

Canis & Musca.

Quando quidem hæc, omnes alias uolucres, temeritate uincat ille quadrupedes.

Ignauus & inefficax.

Homo discinctus.

Quia discinta uestis, discinctus est animus, nec solebant ueteres discinti unquam in publicum prodire. Vnde Hora. alibi.

Discinta tunica fugiẽdum est. Et alibi rursum. Terra præmam:
Discinctus aut perdam ut nepos. Et Sylla, hũc malè præcinctum (de Cæsare loquebatur) cauete. Et Cice. Nunquam putaui Pompeium ab homine male præcincto superatum iri.

Innocens.

Vultur.

In rupibus nidificat, nihil interficit, uolucribus etiam mortuis abstinet, æscamq; ex cadaueribus quærit.

Inuidus.

Lynx,

Ex cuius urina concrescit gemam sed inuidum animal, egestam urinam terra operit, ne possit ab homine inueniri ad multa efficax medicamenta.

Ingratus.

Cuculus.

Mater eo maiore cura hunc fouet, quia magis eum miratur, & amat, propter corporis magnitudinem, hic tamen ubi primum adoleuit, currucam qua incubante natus est, crudeliter lacerat & deuorat:

Labor.

Bracchia.

Ex quo psal. dicit. Bracchia peccatoris conterentur. Labor.

Asinus.

Quia dicitur alibi. Omne aperiens uuluam asini, permutabis oue, ac si dicat omnem laborem, permutabis profectu. Laborē enim Asinus significat animal patiens, profectum uero ouis.

Loquax & stultus.

Magnas habens aures.

Indicium enim stultitiæ & loquacitatis sūt hoc idemq́; sanè docet experientia magistra rerum efficax.

Litigator improbus.

Marsias.

Sic eiusdē statua,ī foro olim erat posita quo cæteri similes,ab improbitate & litibus abstinerent.

Lætitia iuuenilis.

Vitulus.

Quippe quod uitulari,ueteres pro gaudere dicebant.Vitulaq́; dea(fabulabātur ita) iuuenili lætitiæ præerat.

Lares.

Iuuenes duo,sedentes, pila idest tela manu tenentes,cumq́; eis canis astans.

Sanè ex hoc ostēdētes,custodes hominū fore, rerūq́; suarū: & ob id,semper uigiles & prōpti,alienis formidolosi, mites uero ac mansueti(ut canes) domesticis.

Loquacitas.

Tantalus.

Ad inferos enim detrusus est quod deo-

rum secreta prodiderit, Vnde Naso:
Hoc illi garrula lingua dedit. ut echo puella quæ ob id à Iunone in uocem mutata fingitur.

Labora, manducabis.

Puer funda lapidem, iaciens.

Sic etiam Maro, quando dicit.
Stupea torquentem Balearis uerbera fundæ: hinc Mos Baleariū insularū (Græci.n. eas Gymnasias appellant, quia funda sunt Bellicosæ) pueris mane sibi fundæ panem quærere.

Labor.

Hercules.

Ex quo laudis Herculeæ fundamentum est, labor. non secus ac Vlyßis, qui nec aliter quā laboribus cognoscebatur.

Laceßitus minatur.

Manus cicadam ala comprębendens.

Ex quo prouerbio etiam dici solet in eum qui lacescit (Archilocus Poeta autor fuit) cicadam ala comprehendisti.

Luxuria.

Ignis.

Inquit enim D. Hiero. sic ad propositum. Flammigero igne percutit mulier conscientiā. Et alibi Ezech. ab aspectu lumborum eius deorsum ignis.

Labor omnia uincit, improbus.

Senex qui uili, paruoq; instrumento ferreo, montem perforet.

Tum quia hoc idem dicit Maro. & quia ille quoque (ut aiunt) sic montem fregit aceto.

Loquax.

Cicada.

Quia sic Neuius dixit, totum diem argutatur, quasi cicada appellãturq; loquaces etiã Blacterones, quando quidem βλαξ græce idem sonet, originemq; ab eo uerbo ducant.

Loquacitas.

Luscinia.

Reuulsis enim plumis, minimũ habet carniũ

Loquax.

Graculus.

Non ab re quoniam sui natura graculi sunt loquaces & obstreperi. Qui alias coracie a coruina nigredine uocãtur, rostro tamẽ rutilo

Labor.

Mare.

Hinc Põtus dicitur, quasi πονος, græce, quod nil aliud quam labor, sonat.

Libidinosus.

Perdix.

Quia heæ aues salacißime sunt, ouaq; deperdunt mares, ne cura ĩcubatus Venerẽ impediat.

Labor.

Nucem frangens.

Cum hinc dicat comicus.

Qui è nuce nucleum esse uolt, frangit nucem.

Mathiæ regis Pannoniæ genesis.

Coruus.

Si Mathiæ Pannoniæ regis, signum est, Coruus, nimirum quippe quod se genus habuisse, è coruina romanorum gente, iactabat.

Multitudo.

Mare.

Quia sic dicit Virgil.

Mane salutantum totis uomit ædibus undam.

Et Iuuenal.

Ante tamē ueniet nobis properātibus obstat.
Vnda prior.

Miles mercenarius.

Lanio iugulans pecudes.

Quando quidem sic ille lucri spe etiam iugulet homines.

Nullaq; fides, pietasq; uiris (ut Poeta inquit) qui căstra sequuntur.

Malum.

Crocodillus.

Nili quadruplex malum est, & terra pariter ac flumine infestum.

Monitio.

Sepulchrum.

Quod etiam monumentum uocatur, quasi monens mentē ut à malis abstineamus aliquando morituri.

Magistratus.

Speculum.

Honestatis clarum, atq; splendidum sit, quo

se cæteri componant, ad bene beateq; uiuendum.

Malorum auersor.

Hercules.

Quoniam inexhausto quodam uirtutis ardore cum monstris omnium uitiorum bella gessit. de cuius historia demas feras, bestias, tyrannos, longa ac grauia itinera, sursum & deorsũ profecto eius uirtutem mutilam reddes, nec ab re græci ipsum, uocant ἀλεξίκακον. *quod non aliud sonat.*

Mediocritas.

Quercus & cucurbita.

Mediocres honores augentur tempore, immodici abolentur.

Memoria.

Vasculum.

Quippe quod uasculo quasi quodam Corinthio, præclarissimarum rerum magnam quidẽ contineat suppellectilem.

Mendax.

Rota.

Quo magis se ipsam sequitur, eo magis se ipsam fugit, & quo magis ueritati inniti uelle uidetur mendax, eo magis mendacium refert.

Medicus.

Esculapius Barbatus, cuius Baculo anguis inuolutus sit.

Quod in eo insint remedia multa, inq; me-

dico, multarum rerum usus, desideretur.

Mens.

Cor hominis.

Quia sic scriptura capit, proq; mente cor ipsum ponit, sic dicens alibi. Scrutans corda & renes deus. Cor mens est, & renes concupiscibilis animi pars.

Materfamilias.

Clauis.

Quia pro more mulieribus domū mariti ingreßis, claues dari solebant quibus tales declararentur.

Multitudo timenda.

Draco formicarum multitudine necatus.

Quia sic ille Tiberij Imp. exarmatus, consumptus est, sibi portendens ut à multitudinis ui, caueret omnino.

Mendax.

Lupus aut chamaleon.

Quia non aliter mendacijs pascitur mēdax quam lupus, aut Chamaleon, aura.

Mors contempta.

Nudi pugnantes.

Non aliter Galatæ, qui adeo mortem contēnunt, ut pugnent nudi.

Malis haud cedendum.

Palma arbor.

Palmæ exemplo, ne cede malis, sed audentior ito, quàm tua te fortuna sinit.

Mensura frenoq; omnia agenda.

Mulier Mensuram cubiti, & frænum habens.

Quia sic Nemesis Romanorum dea, effingi solebat, cum fræno scilicet & mensura cubiti, id plane nobis ostēdens, sine fræno & mensura nil agendum fore.

Mollis & effæminatus.

Qui digito uno caput scalpat.

Ne comam studiose concinnatā perturbet.

Male meritus.

Ixion.

Male meritus, publice ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, egestate laboret, inquit Triphonius, l. Con. in. l. Bonafides ff. depo.

Monstrum.

Priapus.

Venus ex Baccho grauida Iunonis opera informem peperit fætum, qua de re priapum ipsum appellauit.

Mutus.

Piscis.

Quia sic dicit Hora.

O mutis quoque piscibus.

Donatura Cycni. certūq; est omne piscium genus, ἄφωνον esse, idest mutum, seu uocis expers.

Mollis & effæminatus.

Lepus.

Iuxta illud uulgatum.

Tute lepus es, & pulpamentum quæris,

Munus:

Hamus.

Humanitate ad amicitiam nõ utilitate principaliter duci debemus, beneficiaq; danda, nõ fœneranda, ex quo ſordidum eſt, et quam maxime uituperãdũ, quod imitẽtur hamos munera.

Mercatura.

Mercurius & Gallus ſimul.

Hermes dictus eſt Mercurius, quaſi curam mercium habens.

Vigil. Mercator eſſe debet, Gallus idcirco additus eſt, hominum excitator, quos lectis & plumis cantu, ſurgendo priuat.

Natura.

Vultur.

Quippe quod inter has uolucres, duntaxat fœminæ inueniantur.

Negligens.

Ciclops.

Quia nihil agendo ſummum bonum dicit, hocque hominum genus omnium negligentiſſimum eſt.

Nobilis pauper.

Lyra ſine fidibus.

Natalibus clari, ſi qui ſunt opum tamen indigi, generis ſplendor perit, mortuaq; fides ſine opibus, ut inutile lignum ſine fidibus lyra.

Nobilitas.

Arundo.

Hinc pannoni equitantes arundinem manu gestant, id nobilitatis signum esse prædicantes.

Nonum prematur in annum.

Liber.

Quando quidem non à libertate nomen habeat, ut in publicum prodire facile audeat, sed à libratione, quod librari potius debeat diligentiq; trutina suspendi.

Nouerca.

Vipera.

Quod ea nihil mitior sit Nouerca, inquit Euripides.,

Vnde quidam.

Ira nouercarum quid non designat amando
Lædens? Hippolyti me docet ista malum.

Obtrectator.

Canis.

Moris enim canum est, omnibus ignotis allatrare.

Proditor.

Coruus.

Albus enim erat Coruus olim, uerum cum Apollini Coronidem à iuuene quodam uiciatam fuisse reuelasset ab eo denigratus est, institutumq; inde ut cantus eius signum foret mali ominis.

Prolixa oratio.

Elephas.

Quia prouerbio, dicitur in eum, qui respar

uas oratione auget, ex culice Elephantus, ut hi faciunt qui nesciunt finire. nec (ut aiunt) manum de tabula tollere. Similesq; cerdonibus illis qui paruo pedi (ut Agesilaus dicebat) magnum induunt calceamentum.

Præceptor.

Prometheus hominem e luto fingat.

Quod sit præceptor effigiator hominum, exq; imperitis eos sanè multo labore peritos reddat & erudiat.

Peregrinus.

Grus.

Threicia enim auis est, quæ sub Autunni finem in regiones temperatiores commigrat.

Principium rei.

Fons.

Quia dicitur in psal. Timor domini fons uitæ. Sapientia fons uitæ, & simile quiddam.

Proditor.

Tantalus.

Ad Inferos detrusus quod deorum secreta prodiderit. Vnde Naso.

Hoc illi garrula lingua dedit.

Patientia.

Duæ pateræ exculpantur.

Quoniam auribus insusurrabunt, patere. i patiẽtia, nosq; inuictos aduersus omnia reddẽt. Imo hortabuntur amplius, carmen illud Poetæ obiiciens.

Tunc cede malis, sed contra audētior ito,
Qua tua te fortuna sinet.

Papa cæterorum dominus.

Iupiter leua sceptrum dextra modo aquilā modo uictoriam tenens.

Vt auium aquila, sic cæterorum est principum Papa dominus, uictoriam uero etiam tenet quoniam nihil est à quo uinci poßit.

Pietas etiam inimicis grata.

Aeneas patrem senio confectum, sublatum, in humeros, portans.

Qui parentes reuerenter colunt, pietatēq; exercent in homines, et deum, etiam natura inimicos sibi æquos & placatos sine controuersia reddunt.

Pusilli animus ingens.

Apum aluearia.

Sic Maro cecinit.
Ingentes animos angusto in corpore uersant.

Petitio inepta nihil ad rem pertinens.

Hircum mulgens, & cribrum supponens alter.

Sic Demonactes Cynicus, de duobus, quorū unus inepte proponebat, alter respondebat nihil ad rem.

Princeps.

Sol.

Quod instar solis esse debeat princeps, Inq; motu semper & uigil. ut Sol.

Petitio indecora.

Camelus saltitans.

Quando quidem ipsius proprium sit onera gestare, non saltitare.

Proditor.

Qui una manu lapidem ferat, altera panem ostentet.

Quia sic dicit etiam Comic. prouerbiumq; iam tritum est.

Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.

Parasitus.

Coclea.

Quod suo uiuat succo donec cæna sibi contingat lautior, ut hæc donec pluat.

Pudor.

Elephas.

Quia uictus uictoris uocem fugit pudoreq; nunquam coit, nisi in abdito, ut etiam Camelus qui latebras quærit.

Pius.

Aquila.

Quia in psal. sic dicit.

Sanctorũ (uelut Aquilæ) iuuẽtus renouabitur.

Prouidentia.

Formica.

Ex quo in prouerb. sic inquit Solomon.

Vade ad formicã ò piger, et cõsidera uias eius, et disce sapientiã, quæ cũ non habeat ducẽ, nec

præceptorẽ,nec principẽ,parat in æstate sibi cibum,& congregat in messe quod comedat.

Proteruus & immanis.

Ciclops.

Vlyssis socios tanquam catulos,quod inquit Homerus)arripuit,et ut leo mõtanus uorauit.

Peccator immanis.

Elephas.

Quia forma trux est,odore grauis,& mole terribilis. Imo quod magnitudine & immanitate corporis nihil humane mentes terribilius cernunt.

Prauitas.

Camelus.

Ex quo prauum est quod intortum est, ut Camelorum corpora hinc D. Hiero.
Ne diuitias quæras,quæ Camelorum prauitatibus comparantur.

Pacis custos.

Terminus.

Quia ueteres,quasi ἐπίσκοπον, hoc est pacis custodem eum & amicitiæ inspectorẽ dixerũt,

Parasitus.

Mus.

Quod alienum cibũ edat semper ut mures.

Prudens.

Ianus.

Quippe quod præterita nouit Ianus & futura prospexit,qua de re,biceps dictus est om-

niumq; regum fuisse, prudentißimum aiunt.

Prudentia.

Noctua.

Quod ad se uolucres alliciat, ipsius pruden tiam admirati, et moniti alias, uoluptatibus de diti cauerent, ne uisco caperentur.

Pater familias diligens.

Habens oculos non modo in uultu uerũ etiã in occipitio.

Plautina anus ita dicebat, non modo in uultu, sed in occipitio quoque oculos habet quasi omnium diligentißimus, & (ut uulgo aiunt) ualde oculatus paterfamilias.

Pax.

Caduceus.

Ex quo anguium effigie circundatur, hiiq; concordes sunt semper, complexuq; mutuo copulantur.

Patri impius.

Quiescenti Iuxta flumen, oculos cor ui effodiant.

Quia diuina lege ita cautum erat, contemnentibus parentes, uel eis male dicentibus in mediis tenebris scilicet eorum lumen extingui, effodiq; iuxta flumẽ, à coruis, eorũ oculos.

Pietas.

Ciconia.

Quod hæc Alis (ut Aeneas humeris) patrem sustulerit.

Pax

Pax suscepta.

Bos coronatus.

Quia sic apud assyrios (ut inquit Amianus Marcellinus) susceptæ pacis indicium est, Nec ulli deo solonis legis, sacrificare licebat Bouem quia animal putaretur innocuum & colonum.

Pij.

Scala.

Huius gradibus significatur ab imo, ad summa, paulatim proficisci, si pij fuerint homines.

Pietas & clementia.

Raia piscis.

Germanice Rocken uocatur, Italice Raia, pius adeo quidem piscis & clemens, ut submersum hominem à Belluis marinis, conseruet, ne deuoretur, & indesinenter tueatur.

Quisq; in re sua moderator.

Figulus.

Quando quidem ansas, pro uoluntate, suis ponat Ollis.

Quies.

Noe.

Quia inuentis arandi instrumentis, labor ab hominibus sublatus est.

Quisq; uires metiatur suas.

Baiulus peruestigans pondus, ante quam ferat.

Quia sic monuit Hora. dicens. Sumite ma-

teriam uestris qui scribitis æquam uiribus, & uersate diu quid ferre recusent.
Quid ualeant humeri.

Qui uult ab amico discedere causam quærit.

Homo hominem rastro interficiens.

Sic de Romulo Lucan.
Nec longe fatorum exempla petantur:
Fraterno primi maduerūt sanguine muri. Nec ab re lupus (ut est in fabulis) agnum comedit.

Rex qualis esse debeat.

Apum aluearia.

Quod is in obeundis uitæ officijs, non minus Iustitiæ aculeum, quàm dulcem mellis clementiam habere debeat, ut apum rex.

Roma.

Mulier insidens Bestiæ cui sint septem capita.

Sic enim septem montes significant. Vnde hinc Roma Septicollis est, & sic Poeta lyricus lingua Italiana. Roma ogn'hora
Con gli occhi di dolor bagnati & molli
Ti chier merce da tutti sette i colli.

Ratione carens.

Simia.

Quippe quod præter formam humanam, nihil hominis habet.

Regni diuturnitas.

Annulus.

Quoniam sic aiunt aliqui.

Annulus æternum regni portendit honorem.
Nanque in se rediens, undique fine caret.

Rex iratus.

Leo rugiens.

Sic Solomon in prouerb.

Sicut rugitus leonis, ita ira & terror regis;

Robur.

Elephas.

Si uinum biberit, sui roboris obliuiscitur, fitq; ad capiendum imbecillis, non secus ac simia uersutiæ, si à uino nec ipsa abstineat. Aelianus grauissimus autor est.

Rex.

Oculus, sceptro addito.

Quo uigilantia, iusta, rectaq; rerum administrat io significari uideantur.

Requies.

Puteus.

Ad quem, exiens requieuit Moyses, & Iesus Christus. D. noster, de Mysterijs diuinis, cũ Samaritana loquens.

Respublica.

Nauis.

Sic Hora.

O nauis, referent in mari, te noui
Fluctus, ò quid agis?

Sic Cice.

Quamobrem mi Quinte, conscende nobiscum & quidem ad puppim, hoc est ad Remp.

Sanctus uir.

Aquila, ouis, Aries, Columba.

Ob spiritus sublimitatem, uelut Aquila, Ob mansuetudinem ouis, Imperium designat Aries, Innocentiam uero & simplicitatem Columba.

Sagacitas.

Catus.

A Sagaci sensu & acuto.

Strenuus.

Homo præcinctus.

Hinc militaris mos, ut strenui semper essent cincti, flagitium uero admittentes discincti transire sub iugo cogerentur.

Sermo uerus & falsus.

Pan.

Biformis erat Mercurij filius, ut homo uerum sermonem, ut Bellua uero falsum significat.

Superbus.

Mons.

Quia sic in Deutoron. dicitur.

Tumentes superbia ascendistis in montem.

Sanctus uir:

Accipiter:

Ex quo uir ſanctus rapit regnum dei. Et quia ſic dicitur in lib. Iob.

Nunquid in ſapientia tua plumeſcit accipiter.

Superatus in Duello.

Qui dextræ dextram,
iungat.

Ex quo ſic agens, olim dicebat. Do manus, cedo, meq; tibi longe inferiorem eſſe confiteri non erubeſco.

Stultus.

Luna.

Quia Eccle. dicitur.
Stultus ſicut luna mutatur:

Segnities.

Muſcæ.

Nempè enim quemadmodum formicæ imitatrix eſt induſtria, ſic Muſcas imitatur ſegnities.

Simulator.

Qui una manu lapidem ferat alteræ
panem oſtentet.

Quia ſic dicit Comic.
Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera. Factumq; eſt iam tritum ſermone prouerbium.

Spes dubia.

Piſcator qui rete iaciat.

Hac, quam sæpissime homines, decipi ac deludi solent.

Spiritus sanctus.

Digitus manus.

Quia in Euangelio dicitur. Porrò si in digito dei eijcio demonia, profecto peruenit in uos regnum dei. nanq; sicut digitus eiusdem substantiæ est cum ipso corpore, & manus pars, ita est spiritus eiusdem substantiæ cum patre & filio, & donationum pars spirituũ, quos habuit Christus. hoc est operationum spiritus.

Spurius.

Puer lapillos iactans in populum.

Quoniam ei dici poterit.
Caue, ne patrem tuum ferias.

Surdus.

Turdus.

Quia turdis, quamquam loquacissimi sint, peculiaris tamen surditas ascribi solet.

Silentium tutum.

Sagitta.

Ex quo uulgo sic dici solet, euolat emissum, semel irreuocabile uerbũ & ut philophus ille. Dixisse aliquando pænituit tacuisse nunquam.

Sapientia.

Formica,

Nimirum quidem cum in prouerb. dicat

Solomon:

Vade ad formicam o piger, & considera uias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem nec præceptorem, nec principem parat in æstate sibi cibum, & congregat in messe quod comedat.

Solis domicilium:

Leonis signum in Zodiaco:

Quia ex natura solis substantiam deducit impetuq; & calore cætera præstat animalia, uti sol ipse sydera.

Solitarius.

Merula auis.

Quia sola uolat, & solitaria pascitur.

Stolidus.

Capra.

Nanq; ardentibus caulis, ab igne repulsa in ignem recurrit, siq; rapiatur à lupo, alia erigitur, aspectu stolido aspicit, nec fuga salutem quærit.

Solitarius.

Nycticorax auis

Quia sola clamat, domos refugit habitatas desertas appetit & amat.

Seruitus uoluntaria.

Accipiter.

Quia è sublimi aere uoce domini audita, eam sequitur, & ultro à libertate summa,

ad eiusdem domini uincula reddit, & partam à se predam amplius elargitur.

Salus.

Apollo dextra gratias sinistra arcum & sagittas gestans.

Quia princeps & Magistratus, sane promptior esse debet, ad salutem, ad noxam uero pinguior.

Somnus.

Puer dormiens, caput leua tenens, dextra papauera, sub cubitu fax ignis, cuspide uersa.

Quia frater est mortis, sicq; in sepulchris pingitur. Vnde ille:

Surge quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago.

Longa quiescendi tempora fata dabunt.

Sancti.

Pisces.

Ex quo in Euangel. dicitur.

Et traxerunt plenum rete piscibus magnis.

Sol.

Lupus.

Forte quia quemadmodum lupus pecora rapit, Sic apollo lycius idest Sol. humorem radijs eripit.

Salutem quærere fuga prudentia summa est.

Calcaribus admotis equo fugiens.

Crimen enim dandum non est, fuga uitare perniciem, dicebat Agamemnon Vlyßi, in Bello Troiano. & minime mirum, ne sua quis culpa cecidiße uideatur.

Sol.

Pan.

Quia in Capræ pedes desinit, quæ & si terrena sit, tamen semper petit alta pascendo. Sic Sol cum radios demittit in terris, uel cum se recolligit in montibus uisitur semper.

Stultus & loquax.

Magnas habens aures.

Quandoquidem (ut physiono mi dicunt) maximum sint indicium loquacitatis, & stultitiæ, docetq; experientia magistra rerum efficax.

Somnus.

Vrsus.

Qui tam graui somno premitur, ut ne uulneribus quidem excitari queat.

Senex annosus.

Elephas.

Quia plures quam annos. cccc. uiuere, autores prodiderunt.

Tempus.

Saturnus, uorans filios.

Quippe quod tempus uorat omnia & consumit.

Trinitas.

Annulus.

In quo non est finis, aut principium, Iuxta illud.

Annulus æternum regni portendit honorem.

Nanq; in se rediens, undiq; fine caret, ex eo igitur fidē æternæ trinitatis designari palā est,

Tirannus.

Sus.

Quia semper in suspicionibus & metu uersatur, cum sciat sicuti Sus (Aelianus autor est) suam uitam solam omnibus deberi.

Timidus & fugax.

Ceruus.

Quod sanè sic Hora. Cecinit.

Cerui luporum præda rapacium sectamur ultro, quos opimus Fallere, & effugere est triūphus. & alibi.

Quem tu, ceruus uti uallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuæ. Dixitq; Homerus Achillem & Agamemnonem in iurgio Cor cerui habuisse.

Terra, montes, ualles, homines, & animalia.

Papauer.

Quia rotundus est, & turbinatus, ac inæ-

qualis, intra uero granula multiplicia, tenet.

Timor Amor.

Cupido ramusculum Euforbi manu tenens.

Quippe quod sic Poeta inquit alibi.

Res est solliciti, plena timoris amor.

Euforbium enim herba graecae nil aliud sonat, nisi timere bonum fore, estq; moderationi animi planè ascribendum, quod timeat quis tametsi timendum non sit.

Vxor.

Venus testudinem calcans.

Quod munus mulierum sit, aedes custodire, & silentium.

Versipellis.

Merula auis.

Quia ex nigra ruffescit, aestate canit, in solstitio muta est, hyeme uero balbutit.

Voluptas nuptialis.

Mercurius, & Venus.

Quippe quod ratione, aptoq; sermone indigere uidetur.

Virtus.

Rosa.

Quia habitat inter difficultates uirtus, nec ad eam peruenitur nisi arduo calle, ac laborioso, ut rosa quoque inter spinas delitescit.

Vtile, & honestum.

Vir in medium duarum milierum.

Harum una ad se rapit, hæcq; est utilitas, altera uero eminus ad se reuocat, hæcq; est honestas.

Vigil.

Luscinia:

Quod sola sit ex omnibus auibus somni expers, seduloq; in uigilijs uersetur.

Voluptas.

Virgo supernæ pulchritudinis in piscem desinens habentem Caudam nigram.

Quod principium bonum sit, exitus malus, hoc genus igitur gustare uetuit Pythagoras.

Versutia.

Simia.

Hæc si uinum biberit, uersutiæ suæ facile obliuiscitur, & omnino erit ad capiendum imbecillis, non secus ac Elephas sui roboris, si à uino se non abstinuerit, autor est Aelianus.

Vicißitudo rerum.

Scala.

Hanc in fortunæ templo posuit Pittacus, ex quo sic homines in uita modo ascendunt, modo descendunt, & sic (ut ille ait) Variat fortuna uices modo tollit in altum.

Et modo complexos imperiosa premit.

Virginitas,

Malum granatum:

Quippe quod D.Hiero.ait,in malogranatis & pomis ,omnium uirtutum concentum uirgiginitatis significari.

Vanitas.

De arbore suspensum:

Vt Homeus,apud inferos, quem pœnas uanitatis dare,Pythagoras dicere solebat.

Vita humana:

Rota.

Quando quidem psal.dicat:

Vox tonitrui tui in rota.

Vita humana.

Nauis in mari.

Nec ab re,quoniam nullum uitæ genus est quod non suas experiatur tempestates.

Vates.

Mures.

Ex quo primi sentiunt,si domus aliqua consentit , & iam iam minetur ruinam,qua de re cauernis pristinis relictis,quantum contēdere pedibus ualēt fugiunt,quod tum dicit Aelian. grauissimus autor , tum ipsa docet experientia rerum magistra efficax.

Vir fortis & prudens.

Leo & uulpis.

Ob robur, sic Pindarus hunc leoni comparat,ob prudentiam uulpi.

Vigilantia & sobrietas.

Noctua, uas inuersum, uacuumq; calcans.

Quæ duo, studiosis quammaxime sunt necessaria, ne ueluti pecora uentri obedientia, uoluptatibus frangantur, & ocio marcescant.

Vxor prodiga.

E iunco restim texet uir, totumq; id asella, pertinaciter abrodat.

Hinc ortum prouerbium est (ut Pausanias inquit) Ocni funiculum torquet.

Velocitas.

Equus.

Quippe quod uelocißimum sit animal, quē non ab re, soli sacrificant persæ, ipsum identidem incredibili quadam uelocitate, orbem circum currere, uidentes.

Virginitas.

Gladius.

Truncat enim opera carnis, uoluptatesq; superat, ob idq; gentilis error deas uirgines armatas finxit.

Vaticinio præstantes.

Formicæ.

Quando quidem imminente fame laboriose mirum in modum sint ad comportandum re

ponendumq; frumentum & alia æstate quibus uescantur hieme.

Verecundia.

Vir, à muliere comprehensus, qui ei uestem relinquat.

Ex quo longe melius est, id facere, quam uerecundiam, uenerandam formosamq; præceteris fæminam (ut inquit Euripides) deserere.

Verecundia.

Camelus.

Quoniam coiturus latebras quærit ut Elephas.

Victus.

Gallus Gallinaceus.

Nanq; demißis alis, e certamine fugit.

Vis multitudinis timenda.

Draco formicis consumptus.

Sic ille olim Tiberij Cæsaris, exarmatus, ipsius delicium, consumptus est, sibi multitudinis uim præcauendam esse, portendens.

Voluptas.

Serpens.

Reptat enim, terra alitur, seu gleba, & uenenum in dentibus gestat.

Velox.

Sol.

Quippe quod uelocitate quadam, totũ circuit orbem, quod uidentes persæ, non ab re ei equum, animal uelocissimum immolant.

Virtus.

Ilex arbor, quercui Similis.

Quia nunquàm folia amittit, radice alta, & multiplici semper glandifera.

Vita Principis.

Duo, hastis armati, Clypeis auersis, Lucerna & lituus.

Quia (inquit Sene.) Ferrum Principem tuetur. & uere (ut experientia magistra rerum efficax docet) securitas militum, uita regis est.

Lucerna Vita est, lituus princeps.

Armati hastis, Clypeis auersis, milites. Sicq; nummisma Augusti est Argenteum, quod multiplex habeo ego.

Vicissitudo rerum.

Dolia duo.

Vt læta tristibus, tristiaq; lætis permutentur, & quorum alterum bona malorum, bonorum uero alterum contineat.

Finis.

Errata

Folium	linea	error	correctio.
12	4	hyppochriſis	hypochriſis
12	7	eſt(	eſt)
17	44	gemam	gemma
18	40	fundæ	funda
22	58	obiiciens	obiicientes
23	1	Tunc	Tunc: